



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sessio XX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTI  
1409.

existentes in prædicto conclauis, de mane circa horam Ter-  
tiarum, elegerunt in summum pontificem reuerendissi-  
mum in Christo patrem & dominum, dominum Petrum  
de Candia tituli basilicæ duodecim apostolorum presby-  
terum cardinalem Mediolanensem nuncupatum, ordi-  
nis fratrum Minorum, nunc vero Alexandrum papam V.  
ipse siquidem papa post suam assumptionem ordinauit  
vnam sessionem pro Concilio tenendo, videlicet ad diem  
Lunæ primam mensis Iulii proxime sequentis.

## SESSIO XX.

Qua die Lunæ adueniente, fuit celebratum Concilium  
in ecclesia Pisana, vt supra: ac solennitatibus & ceremo-  
niis seruatis, cardinalis de Thureio celebravit Missam:  
postmodum fuerunt cantata solita cantari, & litanie cum  
multis orationibus, & fuit lectum euangelium per vnum  
diaconum cardinalem: postea papa incepit hymnum, Ve-  
ni creator Spiritus, &c. Et omnes de Concilio responde-  
runt. Quo cantato, cathedra papæ fuit alte posita ante ma-  
gnum altare in medio, & ab opposito ipsius, versus occi-  
dentem, in vltima parte ipsius Concilii, fuerunt posite  
tres altæ & magnæ cathedræ pro tribus patriarchis, scili-  
cet Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, qui  
ibidem sederunt: & postea de mandato papæ ibidem præ-  
sentis, fuit lectum decretum suæ electionis, in quo omnes  
cardinales se subscripserant. Quo lecto, cardinalis de Cha-  
lanco rogauit Concilium vt oraret pro statu papæ & fan-  
ctæ Romanæ ecclesiæ. Quo facto, papa fecit vnum sermo-  
nem, themate sic incipiente: *Erit vnum ouile & vnus pastor:*  
multa pulcra dixit, narrando quomodo pastor se habere  
debet erga gregem, & grex erga Deum: & regratiabatur  
cardinalibus, & promittebat multa bona facere eis. Quo  
facto cardinalis sancti Eustachii dictus Bononiensis, ascen-  
dit pulpitem, & ex parte papæ Alexandri V. aliqua pro-  
mulgavit, quæ ordinauerat dictus dominus noster papa.

Et primo, omnes processus, sententias & ordinationes  
factas per dominos cardinales circa factum vnionis eccle-  
siæ, a die tertia mensis Maii anni Domini millesimi qua-  
dringentesimi octauis, & omnia facta in Concilio generali  
approbavit & ratificauit, & omnem defectum iuris & fa-



eti, si quis interuenisset, suppleuit, si & in quantum opus  
esset.

ANNO  
CHRISTI  
1459.

Item, duo collegia cardinalium vniuit, & vnum fecit collegium, & pro vno in posterum voluit haberi; & dabit singulis singulos titulos, & de concurrentibus ordinabit.

Item impedimentum appositum in beneficiis cardinalis de Chalanco, sub prætextu, quod diu steterat cum Petro de Luna, sub prætextu suarum excusationum, alias per cardinales admissarum, relaxauit.

Item dixit, quod tantum faceret erga prælatos qui ad Concilium venerant, quod ad eorum lares læti & gaudentes reuerterentur.

Item dixit, quod ipse volebat vacare circa reformationem ecclesiæ, prout fuerat per cardinales promissum ante eius promotionem, & quod eligerentur probi viri & literati de qualibet natione, pro suis, ad deliberandum cum ipsis cardinalibus ad reformationem ecclesiæ.

Item fuit ordinatum, quod die dominica sequenti coronaretur cum solennitatibus, & aliis necessariis ad præmissa.

Item fuit ordinata alia sessio ad diem Mercurii tunc proxime sequentis, quæ erit die decima mensis Iulii: & sic dictum Concilium recessit.

#### SESSIO XXI.

Qua die Mercurii decima Iulii adueniente, Missa celebrata per archiepiscopum Ianuensem, & aliis ceremoniis seruatis circa officium diuinum, domino nostro papa præfidente, pro parte communitatis Florentinorum ascendit quidam iurisperitus pulpitem, incipiens pro themate, *Offer te Domino tuo, & redde ei debitum tuum.* In hoc themate cepit tria intelligenda. Primum fuit veneratio, secundum gratulatio, & tertium oblatio. Veneratio debita tantæ & tam solenni congregationi prælatorum & aliorum Concilium generale constituentium. Secundum, gratulatio quam habebant Florentini de tam nobili aggregatione, quam pro tanto bono venerantur, vt finem debitum & intentum inueniat, sanctam scilicet vnionem ecclesiæ in vnico vniuersali vero & indubitato pastore. Tertium fuit oblatio. Nam postquam dixit labores, miserias & ambafiatas